

## PRÆNOTIO.

**P**ericulosa Valde Vivimus tempora, in quibus tantum sibi homines etiam privati sumunt, ut ritus vix non omnes, ac caremonias sacras, ut in Ecclesia antiquatas taxare ac veluti impetu factō subruere nitantur. Siquidem alius liturgiam nostram omnino damnat; hujusmodi jam alibi respondimus, ulterius responsales, si inquiramur, futuri: Alius laudat quidem, sed, quod in lingua sacra, non vero vulgari peragatur, molestissime habet: quidam eo progrediuntur, ut generatim græcæ latinæve linguæ usum in omnibus publicis precibus ab Apostolo condemnari loco mox citando contendat, quod, qua auctoritate faciant, discutiemus brevissime. Ac

### §. 1.

Primario quidem isti in partem suam trahunt illud Apostoli 1. Cor. 14. *effatum: Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente. Ceterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiota, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem, quoniam quid dicas, nescit. Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non edificatur. &c.* Ex quibus verbis latinæ aut græcæ linguæ usum apud eas gentes, ubi hæ in usu vulgari non sunt (vix autem sunt alicubi in usu vulgari) ab Apostolo reprobati autumant. Verum

### §. 2.

Et si Apostolum de publicis precibus loqui concedamus (quod qua ratione faciat, definietur postea) illud primum statui potest, publicas preces, quamvis non tam utiliter ad populi ædificationem, tamen absque omni noxa Sacerdotum in lingua ignota fieri posse. Nam, tu, inquit, bene gratias agis. Quod autem bene ab Apostolo fieri dicitur, qua tandem temeritate tanquam ineptum & inutile reprehenditur? Non enim, si meliora præferuntur bonis, ut matrimonio Virginitas, idcirco bona continuo evadunt mala. *Æmulamini,* ait Paulus, *spiritualia, magis autem ut prophetetis.* Prophetare, est per linguam intellectam Dei mysteria proponere.



## §. 3.

Nunc autem ne id quidem verum est, Ecclesiam in precibus ecclesiasticis ulla ex parte Apostoli consilium, aut superiorem hunc linguæ gradum (prophetiam intelligimus) neglexisse. Partim, quia de alio genere precum Apostolus agit, quam quod nunc in solemnibus usu est; partim etiam, quia (tametsi de ordinariis precibus agat) non eas vulgares linguas in illis præscribit, quas adversarii putant eum intellexisse. Ac Primum

## §. 4.

Erat in prima illa Christi Ecclesia donum ut curationum & prophetiæ, sic etiam *precandi*; id autem non erat literis comprehensum, ut nunc sacra officia conscribi ac de libro legi solent; sed, postquam Ecclesia in unum convenisset, unus aliquis, quandoque & plures, à Spiritu S. excitabatur, qui, quod communiter universitati Ecclesie conducebat, id tum ipse pro omnibus postulans staret, tum autem alios edoceret, ut notat D. CHRYSOST. ad Rom. Hom. 14. En duplex precantis officium: ut & postularet pro aliis, & alios postulata doceret. Quatenus autem postulabat, non erat necesse ab adstantibus illum intelligi; at, quatenus oportebat alios postulata docere, aut precantis lingua populo nota, aut interpretis præsentia omnino requirebatur. Cum vero donum illud precandi jam pridem desierit, omniaque jam sint in precum certa capita redacta, superfluum erit, cum ipso precationis ministerio linguam vulgo notam semper conjungi; sed per notissima signa rituum sacrorum, & Concionatores, vel privatim à viris doctis vulgus de eo, quod agitur, instrui potest, ut sciat, cui rei in precibus assensum præbere debeat. Quod ubi fit, Apostoli consilium perfecte impletur, quem de mirabili precandi dono, quo Spiritus S. fideles afflabat, præcipue locutum fuisse, verosimilius est.

## §. 5.

Ad ordinarias vero stansasque preces quod attinet, si de illis etiam Apostolum agere quis contenderet, notandum, duplex fuisse ac etiamnum esse linguarum genus: unum prorsus incognitum ac peregrinum, quod olim & modo à precibus removendum erat, cum difficile reperitur, qui, quid in ea lingua petatur, docere possit: aliud est linguarum genus, vel omni populo domesticum, vel præfectis quibusdam Ecclesiarum vi officii cognitum. Sic Oriens pene totus præter linguas vulgares græca in officiis divinis utitur, ut Occidens latina. Respectu itaque Occidentis lingua Latina, qua publicæ preces donatæ sunt, nequit dici peregrina aut omnino aliena, sicut nec Græca respectu Orientis. Quod cum ita sit, duas pluresve unius gentis linguas extare posse, manifestum est. Ita Galatas *excepto sermone græco, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam, eandem pene habere quam Treviros, notat S. HIERON. Præfat.*



in Lib. 2. ad Gal. PROPRIAM LINGUAM dicit; etenim græca non erat propria, sed communis. Porro eadem est lingua propria, quæ est vulgaris. Atque inde plebeji homines græcis vocantur *Idiota*, quo nomine veniunt, qui linguæ Communis nescii materno tantum idiomate fantur. Qui enim præter vulgarem linguam ex doctioribus aliquam didicit, hic jam non *Idiota*, sed *Doctus* audit, inquit *SEDULIUS* in 1. Cor. 14.

## §. 6.

Quorsum hæc omnia? nimirum, ut intelligamus, Apostolum, etiam si ageret de ordinariis precibus, nil aliud consuluisse, quam ne lingua omnino peregrina in ecclesiasticis officiis adhibeatur, insuper PAULUM eo collimare, ut malit Conciones ad populum in *Vulgari*, Preces autem publicas fieri in lingua *communi*. Siquidem, cum Prophetia magis profutura populo esset, ac donum linguarum, id egit, ut illi magis intenderent Corinthii. *Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo . . . qui autem prophetat, hominibus loquitur ad edificationem, & exhortationem, & consolationem. v. v. 2. 3.* Nunquid autem exhortari, consolari ad conciones pertinet & homilias? In concionibus porro populum ædificari oportet, ædificare vero populum is nequit, qui non intelligitur, nec intelligi, qui lingua vulgari non utitur.

## §. 7.

Hic igitur cum sit Apostoli scopus, ut ad plebem verba facientes lingua maxime familiari utamur, hanc rem exemplis pluribus declarat. 1<sup>mo</sup> Tibia vel cythara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id, quod canitur? 2<sup>do</sup> Si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? 3<sup>io</sup> Si occurrat mihi vir, cujus linguam ignoro, & ego illi & ille mihi barbarus erit. 4<sup>to</sup> Siquis privatim recitet preces non intellectas, *spiritus* quidem, hoc est voluntas & affectus orat, sed *mens* (græce: *ὁ δὲ νοῦς μου ἀναρπός ἐστι*, sed *sensus* id est intelligentia sine fructu est. 5<sup>to</sup> Siquis publice in Ecclesia benedicat in lingua prorsus peregrina, cujus ne sonum quidem & consuetum orationis finem agnoscat is, qui supplet locum idiotæ, quamvis Sacerdos bene oret, tamen is, qui adstat, non ædificatur, neque novit, quando subjiciendum sit *Amen*.

## §. 8.

Quid autem ex his omnibus consequitur? sine controversia id, quod Apostolus ab initio proposuit, lingua vulgari in homiliis populum instituentum esse. Atque hinc ait v. 19: *In Ecclesia hoc est in concione seu conventu populi volo quinque verba, id est pauca loqui sensu meo, ut & alios instruam, quam decem millia verborum in lingua, sermone scilicet peregrino.* Quodque de concione populari loquatur, ex iis liquet, quæ ibidem sequuntur v. 23: *Si ergo*  
con



conveniat universa Ecclesia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiota aut infideles, nonne dicent, quod insanitis? Profecto infideles ad conciones duntaxat admittebantur, ad sacras vero benedictiones, quæ in Missa christianorum fiebant, non item. Non igitur disputat Apostolus dedita opera de precibus publicis, sed *occasionaliter* tantum, quatenus exemplo precum adhibito propositum suum de homiliis confirmaret.

## §. 9.

Sed &, si de precibus publicis loquamur, manifestum fit, in iis linguam ut nullo modo peregrinam, sic neque vulgarem illa ætate fuisse adhibitam. Id unde constabit? Ex comparatione, quam instituit Apostolus. Si quidem tybia canitur, sed cui? non alii, quam qui distinctionem sonitus intelligat. Vocem dat tuba, sed militi. Loquimur in via publica sed occurrenti. Oramus & psallimus, sed quatenus verba psalmi signa sunt, intellectui psalientis loquuntur. Eodem modo benedicit, aut gratias agit sacerdos in Officiis Divinis, sed cui tandem? utrum ante omnia idiotæ? nequaquam. Huic enim præcipue fit concio, exhortatio, consolatio, ædificatur per catechistam, non autem necessario ædificandus est, cum sacras benedictiones recitamus. Quisnam igitur illo tempore primo omnium ædificandus est? *Supplens locum idiotæ*, qui nimirum linguam *communem* novit, cujus cognitione fit, ut suppleatur id, quod idiotæ deest. Quemadmodum igitur se habet communis linguæ peritus, qui est *supplens locum idiotæ*, ad benedicentem, sic se habet idiota ad concionantem. Utque concionem faciens non debet lingua idiotæ incognita uti, sic neque benedicens debet uti lingua ignota ei, qui supplet idiotæ locum. Sicuti enim, si fiant preces in vulgari lingua, plebejus ipse per se novit dicere *Amen*, sic in communi lingua, si fiant, saltem admonitus per eum, qui supplet locum ipsius, novit subjicere *Amen*. Sin illa lingua sit prorsus peregrina, in qua benedicitur v.g. Persarum apud Latinos, neque per seipsum, neque per alterius doctioris exemplum respondere potest *Amen*: quoniam quid dicas, uterque *nescit* v. 16. Utroque autem nesciente, sine fructu est Ecclesia.

## §. 10.

Nec obstat huic explicationi textus græcus: ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου, quem à LAP. vertit: *qui occupat locum idiotæ aut qui est idiotæ*. Etenim ex contextu liquet, vulgatum interpretem recte transtulisse: *Qui supplet*, quæ explicatio magis prægnans est, cui consentiunt S. THOMAS, PRIMASIUS & HAYMO, qui per talem suppletentem intelligunt Missæ & Sacrorum ministrum, nec immerito. Etenim ut pluribus contendit SALMERON Apostolus videtur per benedictionem intelligere Sacrificium Missæ, qua Sacerdos benedicit non tam populum quam Deum, quod videntur significare verba: εὐλογεῖν & εὐχαρισεῖν, qui-



bus pariter utuntur Evangelistæ & Paulus in institutione Eucharistiæ, quæ inde dicta est *εὐλογία* *Benedictio*, *Eucharistia*, hoc est Gratiarum actio. Accedit, quod in omnibus Liturgiis Missæ tam JACOBI & CLEMENTIS, quam BASILII & CHRYSOST. post consecrationem panis & vini populus acclamare soleat *Amen*.

§. II.

Negari tamen nequit, Apostolum non tantum loqui de publica & solemni benedictione Missæ, sed & de quavis alia, quam quisque privatim afflatus spiritu per hymnum, psalmum vel orationem dictabat, aut recitabat, ut patet ex conclusione totius discursus & 26. ubi ait: *Quid ergo est fratres? cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsin habet, linguam habet, interpretationem habet; omnia ad edificationem fiant.* Sed illud ratum nobis fixumque est, in publicis precibus & benedictionibus maxime iis, quæ ad sacrificium missæ pertinent, linguam communem fuisse adhibitam, non vulgarem, minus omnino peregrinam; in concionibus vero linguam vulgarem. Ut igitur apud nos Westphalos, si concio fiat, teutonice fieri debet, eodem pacto, si Missa apud nos legatur, non Anglice aut Gallice ac ne Græce quidem aut Hebraice, verum Latine legi debet, quæ Communis est doctorum lingua apud Westphalos. Ita sciet tum idiota, quid dicatur in concione, tum supplens locum idiotæ, quid in Missa recitetur: ille, ut abeat doctior, iste, ut, cum audierit *per omnia secula seculorum*, & ipse respondere sciat, & alios subjicere admoneat *Amen*, & quæ sunt ejusdem generis.

§. 12.

Nec enim in sacris mysteriis omnino necessum est, omnia à vulgo intelligi; id quod & Lutherus in *Sympos. Pag. 163.* concedit. Cum enim Hungari quidam germanicæ linguæ ignari Wittenbergæ rogarent, ut Cœna sub idiomate latino ipsis administraretur, id ipsum denegabat LUTHERUS, En verba: denn, sprach er, sie wüsten, wie es Christus hette eingesezt, darumb solten sie bleiben in unnd bey der gemeinen Ordnung der Kirche. Da sie gleich die Wort nicht verstünden, so wüsten sie doch, daß Christus Ordnung und Einsezung rechtschaffen, wahrhaftig, und sein Testament were, unnd in der Kirche zu Wittenberg, öffentlich unnd in Gemein gereicht, und gegeben würde, durchs unnd im Wort, darumb solten sie sich nicht von der Kirche absondern. Denn es were iren gewissen viel sicherer, und der Kirche weniger ergerlich, da sie des Sacraments in gemeiner Communion mit dem Hauffen brauchten, welds sie auch darnach gar gehorsamlich theten, unnd danckten Gott und dem Doctor. . . Ratio à LUTHERO adducta valde bona est, & sufficiens, ut lingua communis, latina scilicet, in liturgia retineatur.

§. 13.

Et profecto, si in vulgari lingua celebraretur Sacrificium, oporteret mutare frequenter Sacrificii verba; cum vulgares linguæ indies mutantur (nuncquid germanica nostra exemplo est?) cum per ignorantiam rusticorum & opificum, tum per immixtionem exterarum dictionum, quæ ab accolis & vicinis inferuntur. Sed nec ratio subest talis mutationis; cum Sacrificium non instituitur primario ad populum instruendum, sed Deum colendum, ab eoque aliquid impetrandum. Ut proin recte Concilium Trid. Sess. 22. Can. 9. prescripserit eos, qui dicant, lingua tantum vulgari Missam celebrari debere, inhærens antiquissimæ Ecclesiæ consuetudini. Nam in oriente toto, ut notat BELLARM. *De Sacrif. Miss. L. 6. C. 11.* non inveniuntur liturgiæ antiquæ, nisi græcæ aut chaldaicæ; in occidente non nisi latinæ, indicio haud obscuro, illas Apostolico ævo sic fuisse celebratas.

Denique, quin & ipsi Apostoli nedum Missam, sed & ipsa Ecclesiastica officia tradiderint in his communibus linguis peragenda, nullo modo dubitari potest. Cum enim Prophetarum libri magna portio Ecclesiasticorum officiorum semper essent, cumque Prophetas PHILU Judæus, & Apostolorum Commentarios JUSTINUS Martyr jam in prima Ecclesia legi solitos contestetur, non est dubium, quin apud gentiles ea in lingua legerentur Prophetæ, in qua jam erant a LXX interpretibus translati: in ea etiam Evangelia & Epistolæ, in qua primum conscripta erant. At linguam atticam aut communem, in qua vere omnes hi libri scripti sunt, quotus idiotarum, præsertim Asiaticorum intellexit unquam? . . . D. PAULUS testatur in *Epist. Rom. 15, 19.* se ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum replevisse Evangelium Christi. Quot in isto circuitu linguas fuisse putamus, cum unus Mithridates Rex Ponti & Asiæ, viginti duas intra Regni sui ambitum habuerit? . . . Atque etiam ipse PAULUS velut admirans multitudinem linguarum *Tam multa*, inquit *1. Cor. 14, 10.*, *genera linguarum sunt in hoc mundo, & nihil sine voce est.* Nullum quippe genus eorum dialecto propria & peculiari sono caruit. Quid ergo? An verisimile est, his omnibus populis Apostolum Scripturas sacras, aliaque Officia ecclesiastica, cuique juxta proprietatem linguæ suæ tradidisse? . . . Hoc, si verum extitisset, non modo *Hexapla*, id est, sex interpretationum sacrarum varietates in unum ab ORIGINE congesta fuisse oportuit, sed amplius etiam, quam *Centupla*.

Quis autem neget, præcipuam partem Officiorum ecclesiasticorum ex Verbo Dei desumptam semper fuisse? . . . Inde sunt psalmodiæ, a quibus initium celebrandæ synaxeos ductum esse DIONISIUS AREOPAGITA testatur; sic & BASTILIUS



LIUS in Liturgia jubebat tres aut quatuor versiculos psalms decantari apud BEL-  
LARM. l. c. C. 16. Inde sunt lectiones Prophetarum. Inde Evangeliorum sacra  
historia, & Apostolorum Epistolæ, quibus locum in Liturgiis dari solitum,  
docet JUSTINUS Martyr *Apolog. 2* uti & TERTULLIAN. *C. 39 Apolog.* more hebræo-  
rum, qui per omne Sabbathum & hodieum legunt in Synagogis lectionem  
ex Prophetis.

§. 16.

Jam quis ferat, ut in Ecclesiis Prophetæ atque Evangelia legantur, quo-  
rum certa, rata, & authentica interpretatio non extet? Quis vero Testamenti  
veteris authenticam conversionem Apostolorum temporibus ullam aliam extare  
audivit unquam, præter illam, quæ ad Ptolomæi Philadelphi rogatum à se-  
ptuaginta duobus interpretibus edita recensetur? De cujus translationis au-  
thoritate D. CHRYSOST. agens in *Matt. Hom. 5.* inquit: *Ad faciendam vera transla-*  
*tionis fidem, omnibus aliis jure septuaginta interpretes sunt digniores.* Quamque &  
ipse Dominus *Matt. 21, 16* & Apostoli multoties adducunt, ut de his horumque  
Sectatoribus fidem facit S. IRENÆUS l. 3. *adv. Hæres. c. 25.* dicens: *Prophetica omnia*  
*ita enuntiarunt, quemadmodum seniorum interpretatio continet.* Illam porro transla-  
tionem vulgus hominum per totam Asiam non intellexit. Qui enim potuit,  
cum plebs nihil sciat præter linguæ suæ vernaculæ idioma? & insuper constet,  
70 interpretes docta græcorum lingua fuisse usos. Quare necesse est, septua-  
ginta interpretes, qui ducentis prope annis ante promulgatum Evangelium  
scripserunt, ab idiotis non fuisse intellectos, quando Paulus & alii Apostoli  
Ecclesias fundarunt.

§. 17.

Accedit hæc, quod Parthi & Medi, & Ælamita, & qui habitant Mesopo-  
tamiam, Judæam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam, & Pamphiliam,  
habent omnes partim linguas toto cælo diversas, partim dialecto & proprie-  
tate quadam distinctas. Siquidem de illis S. LUCAS *Act. 2.* ait: *Quomodo nos au-*  
*divimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?* patriam nempe & verna-  
culam. Et iterum: *Audivimus eos loquentes NOSTRIS LINGUIS magnalia Dei.* Si ergo  
diversa proprietate usi sint, qui erant ex Cappadocia, Mesopotamia, Judæa,  
Ponto, Asia, Ægypto, Libia, Pamphilia, Provinciis Romanis, sitque certis-  
simum vel ex quotidiano usu, maximum in omni Republica esse idiotarum  
numerum, sique nullus idiota quidquam intelligat, quod à linguæ suæ pro-  
prietate alienum est; rerum ignari sint, necesse est, qui aut sine psalmodia  
aut lectionibus Prophetarum Officia ecclesiastica maximeque Liturgiam (§. 15.)  
olim celebrata; aut aliam translationem græcam Apostolorum ætate fuisse, præter  
unicam illam 70 interpretum; (§. 16.) aut eam ex æquo & Phœnici, & Syro,  
& Galatæ, & Cappadoci, & Phrygi, & cuilibet plebi Asiaticæ cognitam fuisse ar-  
bitrentur.

§. 18.

§. 18.

Nec obstat, quod sex aliæ translationes celebriores de hebræa in græcam linguam factæ fuerint. Siquidem earum prima sub HADRIANO demum Imperatore, qui regnare cepit A. C. 120 ab AQUILA Pontico confecta est, quam & plures subsecutæ sunt, quas tamen omnes communi græcorum lingua, & maxima ex parte Attico idiomate conscriptas fuisse constat. Et quid istæ interpretationes indoctum Galatam, quid plebejum Phœnicem, quid Thracem aut Dalmatam, quid Ægyptium iuvant? Nos autem agimus adhuc de Apostolorum temporibus, in quibus dicimus, *Amen* ad omne genus benedictionum publicarum non potuisse ab ipso idiota vel plebejo dici, nisi cum is à sup-  
 plente locum suum doctiore alioquo admoneretur, cum illam 70 interpretum versionem intelligere non posset.

§. 19.

Cum igitur in toto Oriente doctæ istæ interpretationes legerentur publice, nec eas indocti & idiotæ, quorum longe maximus est numerus, intellexerint; necesse est, in ipso nascentis Ecclesiæ exordio, Ecclesiastica officia in iis linguis edita fateri, quas vulgus hominum ignorabat, nisi quod eorum partem aliquam is, qui præerat, sive Episcopus, seu Presbyter interpretari soleret in lingua vulgari. Si enim res ipsa edoceat, unam aut alteram communem linguam in Officiis ecclesiasticis satisfecisse omnibus fere nationibus, (§. 14.) constat, idiotas non tam ipsarum Lectionum aut Psalmorum habuisse intelligentiam, quam pauca potius vocabula in Officiis didicisse; partim Sacerdotum suorum concionibus plenius fuisse instructos. Quo turpius ab his erratur, qui verba Apostoli §. 1. urgent, tanquam ipse idiota benedictiones, omnesque publicas preces inter Mysteria celebranda recitatas intellexisset.

§. 20.

Hæc tamen eo dicta non sint, quasi generatim nullum Officium ecclesiasticum in lingua vulgari peragi liceat. Dictorum enim Summa hæc est: Apostolus 1. Cor. 14. 1mò agit de mirabili dono precandi, cui adjunctam desiderat prophetiam, sive interpretationem eorum, quæ Spiritus S. revelasset. 2dò De benedictionibus publicis præsertim Liturgicis, à quibus linguam omnino peregrinam arcet, communemque requirit. 3tò Magis de Concionibus, quas lingua vult vulgari peragi. Quodsi jam quædam benedictiones precesve, præsertim quæ ad Missam non pertinent, in lingua vulgari à Pastoribus introducantur, si hæc simul ad populi ædificationem conducant, majoremque devotionem excitare natæ sint, nil Apostolo contrarium agunt; cum ad ædificationem Ecclesiæ querant, ut abundant. 1. c. v. 12. . Pari modo, si Præsules hic & nunc

B

Moni-





Monialibus injungant, ut Officia ecclesiastica lingua vulgari persolvant, quin hi conformiter Apostolo agant, dubitari nequit. Hac enim ratione et *spiritus orat, nec mens sine fructu est. Psallunt spiritum, psallunt & mente*, ut consulit D. PAULUS *ibid. v. v. 14. 15.* Quamvis, si se Ecclesiae praxi ad majorem conformitatem accommodent, & in inferiori illo precum gradu sistant, nec fructu devotionis erga Deum, nec reverentiae erga fs. preces careant, ut notat A. LAPIDE; sicut nec caret idiota, qui cum Sacerdote in Missa orat, mentemque Deo jungit, & petit id, quod Sacerdos nomine totius Ecclesiae supplicat. Liturgiam vero, aliaque Clericorum officia in lingua vulgari persolvi, nec vult Apostolus, nec, ut dictum est, consonum antiquae Ecclesiae est.

§. 21.

Recte proin sicut graecam Orientalis, sic latinam linguam Occidentalis tenet Ecclesia. Ut enim & hoc addamus: Tollamus linguae latinae scientiam, quae potissimum propter Ss. Scripturas & preces a Clero addiscitur, & cum nihil habeat Pastor, quod ex D. AUGUST. HIERONYMO, AMBROSIO ceterisque SS. Patribus dicat, restat, ut nil omnino dicat, aut, quod ipse excogitavit, id magno cum suo & vulgi periculo dicat; plurium enim malorum mater & nutrix ignorantia Sacerdotum est. Adhaec, ruente communi lingua, ruet & exterior Ecclesiae communicatio: Generalia Concilia vix sperare licet. Quid enim facient collecti in unum, si tot, ut olim apud turrim Babel, erunt pene linguae, quot homines? Teneamus itaque linguam communem, quae a Majoribus nostris in utroque jure, in omnium artium studiis, in fs. literis & precibus tradita est.

POSITIONES SCRIPTURISTICAE

- I. Acta Apostolorum S. Lucam auctorem habent, eaque verosimilius ultimo, quo Romae fuit, anno scilicet 60 in gratiam Romanorum conscripsit.
- II. Circa annum natalem Abrahamae inter *Genesis C. 12, 4.* & *Act. Apost. c. 7.* apparens duntaxat antilogia est.
- III. Baptismus *Act. 8, 12.* non in solo Nomine Jesu, sed sub sanctissimae Trinitatis invocatione collatus est.
- IV. Ex versu 28. *Cap. 20. ibid. In quo vos spiritus S. posuit Episcopos &c.* non sequitur, Episcopis singulis universae Ecclesiae regimen commissum esse, eosdemque pariter cum R. Pontifice auctoritatis esse.